præponderat, & quæ eam ex una parte facilem, ex altera sinceram reddit, ita ut hominis christiani ambulatio coram Deo non minus sit fiducialis, quam sancta; uti evangelio, sic etiam legi, in justa beneficiorum acceptorum ac officiorum redditorum ἰσοπαθείᾳ convenientissima, religionis christianæ θείῳ in praxi sic constituto.

ILLUSTRATIO.

1. *Fidei* ac *fidelitatis æqualitati*, quam christianismi praxis requirit, non obstat illa fiduciæ prærogativa, quam ea in ordine caussæ ad effectum suum relatæ habet.
2. Christianæ praxeos *facilitas* resultat ex evangelio: utpote quod, per *fidem* recte applicatum, animo regenito non solum bene agendi voluntatem, sed facultatem quoque cum singulari προθυμίᾳ adfert: quemadmodum *fidelitas* secundum legis indolem in sanctimoniæ studio sinceritatem induit.
3. Atque ita *beneficia*, per haustrum *fidei* secundum Evangelium e plenitudine Christi accepta & recte collocata, provocant *fidelitatis officia*, lege sic per evangelium magis magisque instaurata.
4. Religionis christianæ θείου, idque practicum, est is